

3153

LITURGICI.

3154

DCCCCXII.

858 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 24. 12. eleganter scriptus et auro coloribusque illustratus Precatorius est, in quo primo *Incipit officium beate marie virginis quod dicitur per totum aduentum*, sequuntur *Psalmi* dicti de *Poenitentia* initio truncati, et compactoris vitio turbati, cum *Litaniis OO. SS.* In Precibus ad has subsequis legas: *Oremus pro ministro nostro*, item: *miserere famulo tuo ministro nostro N.* nulla Principum facta mentione, unde credibile, *Codicem* hunc olim in *Belgis* exaratum fuisse. Confer *Codd.* DCCCLXXXI. LXXXVI.

DCCCCXIII.

862 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 201. 12. bene exaratus, minio et literis auratis, picturatisque initiorum distinctus, Precatorius est, et sequentia complectitur: *Incipit cursus de passione domini.* Sequitur: *Cursus de corpore christi*, et hic quidem cum duplicibus *Vesperis*; non enim *Cursus* isti ad modum eorum, quae hodie passim *Officia* vocantur, compositi sunt, sed formam habent prolixioris *Officii* ecclesiastici, prout in choro canitur, et in sic dictis Sacerdotum *Breviariis* continetur.

DCCCCXIV.

868 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 158. 12. minutius

fed nitide exaratus, Frontispiciis quibusdam florulentis, Literisque initiorum picturatis et auratis decorus, Precatorius est, continetque *Cursum de Beata maria virgine*, VII. *Psalms* Poenitentiae, *Vigilias Mortuorum*, *Orationes* varias de *Domina*, id est, B. V. *Maria*, *Cursum de passione domini*, *Precesque* pro diversis opportunitatibus.

DCCCCXV.

891 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. nunc 245. 4. bene perscriptus, praeter Initiorum literas, et oras foliorum amoenissime depictas ostentans insuper *Picturas* grandes XX. elegantis penicilli, quondam quadriennis *Leopoldi Ignatii* Archid. dein Rom. Imp. ut anterior theca fidem facit 1644. cui ipse parvulus scripturae tiro rudi manu adjecit: *Erzberzogk leobold*, diversa Pietatis *Exercitia* continet curata in usum *Jacobi IV. Scotiae* Regis, qui a. 1513. in praelio adversus *Henricum VIII. Anglum* cecidit, et *Margaretae* Conjugis suae ejusdem *Henrici* Sororis, ut e dicendis patebit. Initium more solito ducitur a *Calendario* mirifice Sanctorum *Iconiculis* exornato. *Fol.* 14. p. 2. Insignia Regni *Scotiae* comparent adstitutis *Monocerotibus*, torque *Ordinis Cardui* (*the Order of the Tbirdle*) circumflua, *Symbolo* Regis: *In my Defens*, et Reginae: *God us defend* inscripta. Visuntur etiam *Litterae* I. et M. connexae, vide-

3155

C O D I C E S

3156

licet *Jacobus* et *Margareta*, et in margine Scutulum Reginae. *Fol.* 24. p. 2. Rex ipse virili aetate (occubuit a. aet. 41.) adstante Patrono suo *Jacobo* Apost. ante aram, cujus *Antependium*, quod vocant, iterum Regni Insignia exhibet, genuflexus orat. *Fol.* 109. p. 2. rursus Insignia et Symbolum in margine; ita *fol.* 183. I. et M. *μονογραμματος* auro, unionibusque repraesentatur. Demum Symbolum Regis *fol.* 189. p. 2. et Regina *fol.* 243. p. 2. adstante Angelo ad aram procidua, cujus arae *Antependio* et Insigne, et Symbolum ejus, et *μονογραμμα* I. M. adpicta sunt. Pictura huic e regione posita Navim ostendens, cujus vectores revellendis 2. columnis, fortassis *Herculeis*, occupantur, aut ad navigationes in utrasque *Indias* eo aevo tentari coeptas, aut ad magnam illam a *Jacobo* aedificatam Navim adludere videtur, de qua *Buchanani* *Rer. Scotiae*. Liber XIII. Atque haec de Codicis ornamentis, quem in *Belgio*, vel faltem a *Belga* et quidem *Flandro Brugensi* scriptum fuisse concludo, cum e miniatis in *Calendario* Sanctorum ejus terrae nominibus aliis, tum maxime e nomine *Donatiani* 15. *Octob.* cui Librarius perperam adscripsit: *episcopi Brugie*; fuit enim is *Rhemensis*, quamvis Reliquiae ejus in *Ecclesia Brugensi* quiescant, quae anno primum 1560. cathedralis evasit. *Calendarium* porro excipiunt: Initia IV. Evangeliorum, Orationes S. *Brigittae*, Horae de *Cruce*, *Preces* variae, *Offi-*

ficium B. M. V. *Psalmi* *Poenitentiales*, *Vigiliae Defunctorum*, *Psalmi* de *Passione Domini*, *Psalterium Hieronymo* subpositum, *Passio Domini* secundum IV. *Evangelistas*, et aliae *Preces*, in quibus *Codex* mancus deficit.

DCCCCXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 385
XVI. Folior. 24. 4. eleganter exaratus, minioque distinctus Titulum praefert: *Contemplacio Saluberrima Gestorum Vitae Passionisque Salvatoris Nostri Precipuarum Ex Testamento Graciae Et Lucis Veritate Articulatim Et Diligenter Collecta*. Hunc Titulum brevior excipit: *Vite et Passionis Christi Meditacio*. Hujus initium: *Jesu mi Dilectissime, Qui Deus es ante secula ex substantia Dei patris genitus: A patribus denique et patriarchis per multa seculorum tempora cum vehementi desiderio expectatus &c.* Atque ita ἀποστολικώς omnia *Historiae Evangelicae* Gesta enumerantur, dum in fine fiat collectio ejusmodi: *Tu benignissime Domine Jesu, per hos sanctissimos Vitae tuae actus, passionem, crucem et mortem tuam libera nos — quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Amen.* Latet Autor; verum e *Textu Psal. LXXI. Fol. 1.* praefixo: *Deus Judicium Tuum Regi da, et Justitiam Tuam Filiis Regis*, concilio, Opusculum *Ferdinando I. Imp.* tribusque *Filiis Maximiliano, Carolo et Ferdinando* oblatum fuisse.

DCCCCXVII.